APVLIAE TERRAEMOTVS Deploratio

IOANNIS GIACCHETTI Presbyteri Serrani.

Non mihi ſi centum Deus ora ſonantia linguis
Ingeniumq. capax, totumq. Helicona dediſſet
Triſtia perſequerer miſerorum fata meorum. *Meta-morph.*

HAEC nimirum verba mens ægrè repetebat dum flebilis enarrationis excogitaret opus, grandi ſiquidem digna lamento ac eximij luctus dum infortunia memorantur ingentis meritò ſermonis facundia expediret. Haud tamen inanis fletus, vel indecora lamentatio, gemunt fortes fortioribus oppreſſi doloribus & ſæpius in viro languor inſpicitur cum ab horrenda contingit clade pulſari. At qui maior inter lugubra mæror, & in vehementi mærore, quænam anguſtia grauior quam improuisò Patria priuari? & fines ipſius excidia intueri? omnium certè carorum cariſſima eſt Patria, eamque ſi lugemus eiectam, incomparabilis iacturæ ſumma dolemus; ſi quærimur ammiſſam non exigui doloris pondera ſuſtinemus; Hanc naturæ inſtinctu diligere, hanc poſtpoſitis propriæ vitæ noſtrorumq. vtilitatibus tueri iubemur. Eius ergo finem ingemimus, quia gementibus dolenter eripitur, quid tantum eripitur? heù qualis offertur, di-

Digitized by Google

ruta mœnijs, confuſa vijs, æquata ſolo, orbata templis, ſuisq. tandem deſtituta habitatoribus. Ac quæ fuerat iucundus delitiarum aſpectus facta eſt infelix omnium miſeriarum imago.

Die namque 30. Iulij 1627. horribili terræmotu concuſſa Apulia, eiusq. nonnullæ Ciuitates, & loca inſtabilem ob tremorem in ſuis proſpiciuntur iacere ruinis, deducta deorſum calcantur tecta, turres arcesq. ſuperbæ eodem impulſæ tremore ceciderunt, vilibusq. iam incipient herbis inuolui. Horum aliquæ nec veſtigia incolatus aſſeruant, ſed ad inſtar montis ſaxorum maſſa aſpicitur. Aliquæ hiatu terræ dicuntur abſorptæ. Aliæ autem fractæ concuſſæq. impetuoſiſſimi motus non præualuere furorem, ac vt Poetæ verbis vtar.

Sedulius. *Oppida, rura, caſas, vicos, caſtella perurgens*
Omnia Telluris quaſſabat corpora motus.

In his (& quidem pars magna) Serra Capreola in oris Apuliæ ſita, à Mare Adriatico,& à Gargano monte ad 8. milliaria diſtans à quibus æſtiuo hibernoq. oriente illuſtratur, loci natura ſpectabilis, camporum amœnitate foelix, Cæli benignitate ſalubris, affluentium incolarum numero frequens atque Ciuium ſuorum magnanimitate, & ingenio celebris, ferarum enim quandoque venationibus dediti, veluti militari diſciplina inſtructi, pugnis euadunt intrepidi. Teſtis ſit omnium memorabile illud anni ſalutis 1553. Cum enim claſſis Turcica Apuliæ ora opprimeret auſa quoque foret Serram vſque terreſtri itinere meare. Pauci tunc Serrani in vnum Collecti tot millibus Turcis hac arte obſtiterunt: Belli ſigna præliorumq. minas inclamauerunt ac ſi fuiſſent numero, & viribus æquales. Interim (mirabile dictu, & non ſine largitate diuina) Ducem illorum ſcopli iaculo necantes ecce confuſas territasq. morte Ducis phalanges, alacres Serrani multorum Turcharum internecionibus fugarunt, Patriam honore,& incolumitate ſeruantes. Hæc inquam om-

omnium laude percelebris, nunc omnium lacrymis, omniumq. pro afflictione, & euerſione deplorata ſuſpirijs, cecidit, eamque cerno (vt quidam de excidio canit.)

Tot quondam Populis regnantem opibusq. ſuperbam Apollonius.
In putres lapſam cineres.

Verum tamen in ſui lapſus occaſum iterum, iterumque elementa coniurarunt. Primo namque tremori reſtitit in partibus, duriorq. exiſtens effrenos vincebat motus, at potentior ira tremorem exagerans deiecit omninò. Cecidit iam tot vicibus concuſſa, & inſimul plures ſuo fatò occubuere. Ingens itaque commotionis impulſio longè lateque Prouinciam euertens cuncta mouit, ſed non cuncta deiecit, omnes terruit, ſed non omnes oppreſſit. Non pauci tamen ſeruati doloribus, bonorum iacturam, gentiſq. cædem inconſolabiliter lacrymamur, quinimmo multimodi interitus recogitantes imaginem haud pati poſſumus non intermiſsè conqueri.

Dum enim infanda illa die, fœmina virq. ſecurus domi, vel tutus in via, lætus in menſa, aut vigil in foro ſibi ſuiſq. ex more vacabant; repente omnia moueri, concutiq. ſimul apparebant, vti vates.

Intremuit tellus & niſu mœnia magno Alchimius.
Concuſſis ſummo nutarunt vertice criſtis.

Terræ vaporibus ac puluere magno condenſatur Aer, Cælum illico vocibus obtunditur, ipſi quoque exclamantium animi turbantur, ſeculorum enim finem adeſſe putabant. Exterriti pauent fortes, horrent intrepidi, gemunt mulieres, timent vniuerſi. Admirans aliquis domum inſtabilem dum cauſam inquirit à decidente tegula necatur. Euocat pia mater filios abſentes, ſed antequam excipiet, intuetur occiſos. Clamat alia vicinioris auxilium, at cadentibus muris vtraque perimitur. Quoties parentes dum pro pignorum morte lugebant, crepitantium ſaxorum ruina quaſſabat? Si qui cariſſimorum ſuorum damno ſuſpecti accurrebant in opem, ad ineuita-

Digitized by Google

bilem ſe vrgebant cladem & interitum. Egredientium è penetralibus labens murus includit paſſus & necat. Vagit infans, flent grandiores, ſed his auxilia præſtantes cadentia conculcant laquearia tectorum. Procul vir manens, ſi amatæ coniugis formidet pericula, antequam inuiſat, occidit eundo. Iacent ægri manusq. attollunt ad Cælum, præcipitant tamen cum præcipitio ſanorum. Graues itidem prægnantium greſſus ſiſtit calamitas vnaq. cum fœtu murus labens interfecit. Hic, paries cadit; hic terra mouetur; hic, puluis euolat; hic, ſonitus auditur, mors vndique, lapſus vbique.

Quot etiam incolumes precabantur. Sed haud in finem preces peruenere, orante vix mortuo, & ſepulto, domus enim cum domino peribat, & quę alteri dat lethum, ipſa quoque cadendo ſua figura diſſoluitur; igitur quæ prius defenderat offendit, quæ tutabatur corpus, occupat cadauer, queque imbres arcebat non repulit ventos & ſi præſtiterat tegmentum ad vitam, euaſit inſtrumentum ad mortem, ac tandem quæ fuerant tecta viuorum, extemplo ſe præbuere ſepulcra mortuorum; proprium enim diruta aula occluſit poſſeſſorem, quaſi domini ſeruire obſequio cum morte illius ipſa quoque ſoluta caderet.

In agris nonnulli morantes dum fumum caliginemquè proſpiciunt, dum caſum, ruinas autumant, flexi Numen exorant, ſed tremore proſternuntur in terram. Deſerunt pallidi opus, pergunt ad mœnia plangentes ac ſimiles mortuis non vox non color, nullus vigor in eis, ſed languidi & afflicti incredibiliter mœrebant. Vix tandem expletis tot miſeriarum quærimonijs ne paterentur cadauera propinquorum inuolui lapidum montibus, inſtrumenta vt effoderent attrectabant. Etenim ſi veſtis aut membra notorum apparerent, confeſtim exaſperatur dolor, vrgent aridi fletum, voces extollunt, interdum iuuat obſculari inuenta, putridumquè licet cadauer amplecti.

Incubit

Digitized by Google

Incubit viuus defuncto; deliberantquè non pauci cum mortuis ſuis velle interire. Dumq. huiuſcemodi officia triſtes proſequerentur, haud prima ſtrage ſatiata regreditur concutio; iterum tremor atque ruina quidquid primis ſuperarat motibus conculcans omnino; quinimò quoſdam qui ammiſſa quærebant, illico perdidit, dum iterato tremore parietes labuntur. Proh dira irati Numinis flagella, quæ trucidandi neſciunt moram, interitusq. finem ignorant.

Talibus demum ſuperſtes excidijs, ſaucij multi, exterriti cuncti diſcedunt ſolo, valequè dicto Patriæ non amplius Patria, ſuisq. ibidem ſepultis tutiora incipiunt habitacula rimari, inueſtigantquè effugia, vt ſalui conſiſtant. Enimuero gradiuntur, ſed pluries conuerſi in iacentem; aliò proficiſcuntur inuiti. Ah quanta vis Patriæ deſtitura vocat, diruta trahit, & humi ſumans lumina non faſtidit; idem quod illa ſcripſerat.

Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, iuuat vſque morari
Et conferre pedem. P.Falcon.

Pauidæ tunc mulieres procul ſolitæ tarditatis inceſſu feſtinant ad loca ſaluationis commodiora. Cumq. motus nequaquam ceſſarent, vetant mœnia & per campos errantes ſub dio noctù diùquè morantur. Ibi famis infeſtat, premit eſuries; paruulis quoque lacrymoſo murmure panem quærentibus immaturos porrigunt fructus illico facti inopes parentes. Hic patrem exclamat virgo relicta, fratrem ibi deflent ſorores, coniux alibi, alibi mater gemitu vocatur. Natorum mors illos trucidat parentes, hos incuratum vulnus cruciat membrorum. Grande excidium, flebile ſpectaculum in quo famis, doloris ac ſanguinis non gladijs effoſſi, ſed in præcipitijs effuſi tanta exterminia graſſantur: Etenim quod prius expauerant nunc mallent vtique & mortem quam fugerant inclamant, beatus qui primo occubuit, vel confectus ærumnis inſpicitur mori, quò enim vehementior cruciatus,

& pœna

& pœna productior, eo finis gratior & amica eſt diſceſſio.

Iſtorum igitur vita, morte ipſa miſerabilior quot quantiſq. anguſtijs torquetur in animo, quæ à lapſu parietum ſeruata fuit in corpore? quò trahitur pietate, inde pericula repellunt, & in quæ impulit amor, retrahit formido. Vulneratis mederi, eſurientes reficere ſi quis rogatur, vtriſque opem vult ferre, vtriſque aut tardat, aut ignorat auxilia. Vita pondus eſt, ordo cunctorum elanguet, decor abeſt, in quorum loca mœror, & afflictio commearunt: exterritæq. gentis aſpectus, horrida eſt calamitatis imago, qualem forſan P. deſcripſerat.

Metamorph.

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto
Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes.
Pectora felle virent.

Magnum planè flagellum, & lacrymabile noſtri ſeculi prodigium, quod nec dictis euolui, nec verbis exprimi, nec ſermone vnquam poterit oſtendi. Relinquitur ætati, quod ſupereſt breuitati: finis iam, finis verborum, quamuis non finis aſpiciatur malorum; motus enim motui, & afflictioni ſemper adhuc noua ſuccedit afflictio, finis inquam haud in conſolatione qua caremus, ſed pia admonitione qua indigemus. Paululum itaq; eleuemus capita noſtra, intendamusq. tandem auditum ad ea, quæ Doctor eximius afflictis Saſimis plenus pietate dicebat.

Naziãz. ora. 13.

Vnde frugum eſt ſterilitas? ventorum impetus? grandinis violentia? Vnde aeris corruptio, & morbi? motus quoque terræ, & maris inundatio, ac terrores de Cælo? & quomodo terra, quæ creata eſt in vſum hominum, in impurum tranſmutatur ſupplicium? Ideo nempè, quod ab ea quibus fuimus honorati, nec tamen fuimus grati corripimur, virtutemquè cognoſcamus ex ijs quæ patimur, poſtquam illa nequaquam agnoſcimus. Manſuetudinis hæc ſunt, & Clementiæ dieſquè eruditionis adhuc ſumus iræ, calamitatum exordium, nondum venit ignis comburens, &

flamma

ſlamma motus ſuſcitata violentia, nec carbones accenſi flagelli nouiſſimi.

Quid faciemus fratres? contriti & humiliati, nec non inebriati non à vino, aut ſicera, quæ parumper commouent, & obtenebrant, ſed à plaga quam induxit Dominus, quam vt effugere valeamus bene eſt, vt mentis vngantur lumina oratione, & operatione, ſigillo magno, & ſalutari, noui ſcilicet teſtamenti ſanguine quo cum Chriſto crucifixi, & commortui conſurgere quoque & vna glorificari valeamus nunc, & in nouiſſima eius apparitione.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

R O M Æ, Typis Iacobi Maſcardi.
M. D C. X X X I I.

S V P E R I O R V M P E R M I S S V.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google